



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus XL.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

## MODUS XL.

**P**Ræfixa propositione, duæ aut tres, pluresve causæ eam probantes assumuntur, quæ dicuntur, *Principales*, singulæ deinde, seorsim, rationibus minus Principalibus probantur, exornantur, amplificantur, atque hoc pacto plenam constituunt orationem. Modus hic *Primò* fundamentalis est: & per reliquos sparsus: ut proinde in gratiam Tyronum, merito hîc tabellam subjiciam, cujus in cæteris quoque argumentationibus meminisse juvabit: ut hoc veluti filo, in ratiocinando ducantur.

Præfixa igitur propositione,  
ponitur.

1. Ratio Principalis, ipsam propositionem directè probans.
2. Ratio Rationis Prioris, seu Principalis.
3. Confirmatio Rationis, à causis, adjunctis, similibus, &c.
4. Exornatio, ab Exemplis, testimoniis & quavis eruditione.
5. Amplificatio, seu exaggeratio dictorum, à paribus imparibus, majoribus, minoribus.
6. Illatio Propositionis, quæ interdum apertè, occultè interdum fit: & sine ejus mentione expressa, ad secundum ordinem transitur.

Hoc

Hoc Expleto, assumitur rursus.

1. Ratio altera, item Principalis, Propositionem ipsam directè approbans.
2. Ratio, Rationis secundæ Principalis.
3. Confirmatio rationis secundæ & reliqua ut supra.

Idem cum tertia, & pluribus rationibus fieri debet: si quis eas adhibeat: unde Tyrones ut connexioni assue scant, dum propositione præfixa, rationem unam assumunt, nihil de alia, cogitent: sed unam premant: quam posteaquam, sufficienter excoluerint, tum ad aliam animum applicent, videantque ne probationes alterius, rapiantur, & sic de reliquis.

*Secundò Modus hic, est amplissimus ingentium-que matèriarum, capax E. g. de universa servatoris Passione dicturus, posses unius facti, aut dicti mysterium, per causas tractando de tota Passione differere v. g. reddendo causas, cur Caput moriturus inclinaverit? En vero Mystèrii causam primam, ex Theop. apud Baron. tom. 4. li. 7. Nos primum expiramus, & deinde inclinamus caput: ille autè prius inclinavit caput, deinde expiravit: ex quibus omnibus, non nisi significatur, quod ipse fuerit Dominus mortis. En secundam, ex Ruper. lib. 4. in Joan, quod scilicet inclinaverit, fatigatus, id significant verba Ruperti, supra illa verba, *IESVS autem fatigatus sedebat sic*, ita loquentis. *Quomodo in fonte relucet solis imago, sic ista Domini fatigatio, fatigationem alteram spectat; quam ipse in arcano**

divinitatis sua, meditabatur concilio, *Quam ergo sui  
fatigationem meditabatur.* *¶* *ESVS* ipse ex itinere sua  
humanitatis vera passione, veris doloribus, & sua  
morte erat fatigandus. Hoc igitur cum factum est,  
inclinavit caput! En tertiam, ex Bernardo Ser.  
de passione. *Inclinato capite, Christus factus obe-*  
*diens, usq; ad mortem, tradidit spiritum.* En quar-  
tam, ex Origene 13. in Matth. *inclinavit Christus*  
*caput, & quasi supra Patris gremium, illud recl-*  
*nans, exiit.* En quintam, ex August. *caput habet*  
*inclinatum ad osculandum* lib. de Virg. His adde, in-  
clinasse caput, ut significaret se colere Patrem, us-  
que ad mortem ut reciperet è limbo liberandos, ut  
valediceret circumstantibus, ut notaret Margari-  
tam in pectoris sui agro latentem, qua nobis Re-  
gnum cælorum emeretur: hoc est, reliquum aquæ  
& sanguinis de vulnere lateris profluxuri. Has cau-  
sas singulas, aut illarum præcipuas, si recte tracta-  
veris, ingentem dicendi campum explebis, sed sit,

### PRAXIS.

In Festo S. Jacobi Apostoli,

*Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum. Di-*  
*cunt ei possumus. Matt, 20.*

**C**Alix, quem Dominus propinavit Joanni &  
Jacobo, calix mixtus morte & sanguine fuit.  
Mirum idcirco merito esse potest, quod tam ala-  
criter sit susceptus. Longè interea diverso animo, à  
multis suscipitur, quamvis non tam acerbo potu,  
reple

repletus propinetur: Hinc ut illorum resolutio miranda, ita horum ignavia vituperanda: quã ut excusiamus videamus, quid nobis persuadere possit, ut eum, dum porrigitur, alacri animo suscipiamus.

I. Ratio Propositionis Principalis Alacri animo, hic Calix suscipiendus.

Quia calix est.

Primum Condimentum est hujus calicis, ipsum Calicis nomen. Non maria scilicet nobis adversitatum propinantur, sed nec flumina, aut inexhausti cadi. Totum quod sumi debet, calix est. Aut enim, argumentabatur Stoicus, Adversitas magna est, aut levis. Si magna est, diuturna esse non potest: si levis est non premit atque sic, utrinque calix modicus est. Propinat quidem Deus & calices, quorum fex non exinanitur Psalm. 74. sed hos bibunt peccatores terræ, discipulos autem & fideles Christianos, modica nimium amaritudine perstringit. Unde & Paulus, momentaneum & leve tribulationis appellat: & ipse Christus alibi, Grano sinapis & modico fermento eas assimilat: vetus proverbium habet. Non arare Deum in bove, & asino: quod est non imponere onera viribus graviora, sed dare cum tentatione proventum, Matth. 20. Improbi operarii, de mercede non contenti, labores suos exaggerant. *Portavimus pondus diei & æstus.* O quantillum, quantis verbis exaggerant! Non annum, non menses, sed diem memorant, & pondus vocant, Sic multi, malè patientes, labores suos ad adversitates inique æstimant, ac ingens

O 5

aliquid

aliquid atque portentosum concludunt, cum tamen vita tota nostra, non aliud sit, quam quod hodie appellatur, ad Heb. 3. unde omnes acerbitates minime censeari possunt, onerosæ, sed breves sunt, calix unus sunt, uno generosi animi haustu, alacriter absumentus.

2. Ratio Principalis. Quia calicem hunc prius Christus bibit.

Secundum Condimentum, hujus Calicis est, quia Christus prælibavit unde subdit. *Potestis ne bibere Calicem, quem ego bibiturus sum.* Egit Clementissimus Dominus nobiscum, sicut solent agere Medici cum nauseabundis ægris, quos ut animent, potiones Medicinales, quantumvis amaras prægustant. Sic & Christus Dominus, ut nobis Calicem hunc gratum redderet, ipse prior sumpsit Cât. 4. *Favus distillans labia tua, quid ni ab his potio amara dulcescat.* Unde August. in Matth. *Alliciens inquit, quem ego bibiturus sum, ut ipsa cum eo communicatione laborum promptiores redderentur.* Suadebat olim Stoicè Annæus Epist. 98. *dic, tibi existis, que terribilia videntur, nihil est invictum? Singula vicere, jam multi. Ignem Mutius, Crucem Regulus, venenum Socrates & nos vincamus aliquid.* Melius ad eadem adversa ferenda animabat, se Gregorius. *Mecum Abel occiditur, à fratre, mecum Loth vexatur civibus, mecum Agar ejicitur à Domina, mecum Jacob patitur famem, mecum Ezechias agrotat ad mortem, visu orbatur Tobias, Job filius & bonis: exulat, Helias, secatur Isaias.* Perge dum placet. Crucifigitur Petrus, gladio necatur Paulus, occiditur Jacobus, torretur oleo Joannes. Magna hæc

hæc omnino virtutis Exempla, quibus illud Pro-  
pheta subjeceris. Jer. 49. *Ecce quibus non erat fu-  
dicium ut biberent calicē. bibentes bibent, & tu quasi  
innocens relinqueris?* Nihil interea in adversis & que  
animare valet, atq; Christi Exemplū, ut nullo modo  
possit, illi desipere Christi calix, cui Christus sapit.  
Dedit ejus Rei specimen recens, suo obitu Justus  
Lipsi9, vir diuturna sæculi eruditi memoriâ dignif-  
simus; quem cum ægrotum solarentur amici, atque  
suū argumentis, roborarent animum: ille ostensa  
Christi patientis effigie. *Hæc ait, est vera Patientia  
Christiana: eo quod Christus pro nobis passus, is sit,  
qui suo exemplo omnē adversis acerbitatē adimat,  
adeoque omnes ad calicem hodie propinatum ala-  
criter sumendum movere possit.*

3. Ratio Principalis. Quia hoc calice Regnum propinatur.

Tertium condimentū hujus calicis est, quod nos  
ad illū alacri animo sumendū movere possit, regnū  
in eo propinatum. *Ō si hac conditione regna terræ  
propinarentur, nō calices sed fluvii acerbissimæ po-  
tionis toto ore sorberentur. Scita est pro filio Ne-  
rone, matris ejusdē ambitio, quæ cū ab auspiciis  
accepisset filiū si regnaret, se occisurum occidat in-  
quit dū regnet. Siccine ergo regnū terræ speratum,  
efficiet ut mortes prōpte bibantur; regnū cæli pro-  
pinatū id præstare nō poterit? at palā propinatur id  
n. pe tētib. dicitur. *Potestis ne cal. bibere.* Cleopatra  
cū unionē pretiosissimū in potione Antonio porre-  
xisset subjecisse fertur, regnū bibisti Antoni. Opti-  
mo jure, id patiēti Christiano dixeris; propinatus est  
Calix calumniæ, & sustinuiſti, Regnum bibisti  
Christiane. Porrectus est Calix ægritudinis, & æ-  
quo animo excepisti, Regnum bibisti Christiane,*

oblatae

Oblatæ injuriæ & opprobria & concoxisti, Regnum bibisti Christiane, gloriarique meritò cum Psalte potes Psal. 15. *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei.* Eximiè D. Ambr. de tentatione Christi. *Qui vult coronam dare tentationes suggerit, hoc est calicem propinat. Et si quando tentaris, agnosce quia paratur corona. Tolle certamina, tulisti coronas, tolle cruciatus, tulisti beatitudines.* O absit illas tollamus! quin ad eas promerendas, amaritudines temporaneas, generoso animo suscipiamus; & calicem tribulationum, alacriter sumamus ut inter illos connumeremur, de quibus Servator. *Beati qui persecutionem patiuntur, propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.*



## MODUS XLI.

Similiter, ut prior constituitur ex causis aliquot Principalibus Propositionis, redditis & tractatis. Nihil autem refert, utrum sint causæ ejusdem generis, an disparis, ut alia scilicet sit efficiens, finalis alia, alia formalis denique materialis, quanquam & hunc ordinem servare, cui libuerit licebit. Interea hac ratione differt hic modus à priori, quia in priori, ita tractantur causæ aliquot ut omnes unam rem concludant, hic autem singulis causis, suæ doctrinæ illationes, adhortationes adnectuntur.